

PARS II

DE ARTE METRICA

ARS METRICA, ut verba ipsa ferunt, dimetiri seu condere carmina docet. Hæc quidem pars Grammaticæ fines transilit; animosque difficii ac diuturno labore defessos suavissima quadam amenitate recreat, atque relaxat. Brevi igitur ac facile jucundissimum hoc opus expediemus, nonnullis præmissis notionibus.

1. VERSUS est oratio certo genere, numero atque ordine pedum alligata.

2. PES est pars versus, certo syllabarum genere, numero atque ordine definita. Pedes ergo versus conficiunt, et pedes syllabæ. Ad cujuslibet latini carminis dimensionem, dissyllabi ac trissyllabi abunde sufficiunt.

PEDES DISSYLLABI.

SPONDAEUS constat ex duabus syllabis longis, -- ut *omnes*.
 PYRRHICHIUS » " duabus brevibus, .. ut *Dea*.
 CHORÆUS, " " longa et brevi, - .. ut *multa*,
 IAMBUS, " " brevi et longa, .. ut *potest*.

PEDES TRISSYLLABI.

TRIBRACHYS, ex tribus brevibus, ut *fucere*.
 MOLOSSUS, ex tribus longis, --- ut *gaudentes*.
 DACTYLUS, ex longa et duabus brevibus, - .. ut *tempora*.
 ANAPÆSTUS, ex duabus brevibus et longa, .. - ut *pereunt*.
 AMPHIBRACHYS, ex brevi, longa et brevi, ut *lexena*.
 AMPHIMACER, ex longa brevi et longa, - .. - ut *pontifex*.
 BACCHIUS, ex brevi et duabus longis, .. - .. ut *amores*.
 ANTIBACCHIUS, ex duabus longis et brevi, -- .. ut *legere*.

Pedes quadrisyllabos passim apud auctores reperies; hi autem ex binis dissyllabis conficiuntur; ex. gr. CHORIAMBUS ex *chorao* et *iambo* constant; quare hos memoriae mandare supervacaneum puto, cum facile possit alumnus et dignoscere pedes compositos, et per se componere.

His igitur de pedibus praceptis, agemus de versu *heroico* et *elegiaco*, de versu *lyrico*, et tandem de versu *comico* et *tragico* aliquid indicabimus.

LECTIO I.

DE VERSU HEROICO ET ELEGIACO.

I

1. *Hexamētrum* carmen, quod heroicum etiam appellatur, sex pedibus constat, quorum quintus dactylus est, sextus spondeus, reliqui dactyli vel spondei:

Urbs antiqua fuit, Tyrī tenuerē colōnī. (VIRG.)

Raro quinto loco habet spondæum; tuncque *spondaicus* versus appellatur:

Cara deum soboles, magnum Iovis incrēmētūm. (VIRG.)

2. Connitendum maxime est, ut nunquam pedes verbis coæquentur, sed ita inter se copulentur, ut extrema verbi syllaba cum sequenti pedem conficiat; en optimum Virgilii exemplum:

Semper ho-nos no-menque tu-um lau-desque ma-nebunt.

Syllaba autem quæ ex dictione polysyllaba cæditur, ut cum syllabis sequentis dictioñis pedem constituat, *cæsura* dicitur. Solet tamen latius pro qualibet carminis divisione usurpari.

Quo heroicum carmen numerosum sit, ut *cæsurae* recte adhibeantur necesse est: itaque hac ratione dividendum est.

1.^o *Cæsura* post duos pedes primos; quæ pars versus vocatur *semiquinaria*, i. e. dimidium quinque pedum; hanc habet sequens Virgilii Carmen:

Pānditūr int̄rēta-domus omnipotentis Olympi.

Quod si huic brevem syllaban adjicias in eadem dictione, pars versus dicitur *trochaica*, eo quod trochæo pede desinat;

Infandū, reginā, jubes renovare dolorem.

2.^o *Cæsura* post tres primos pedes; quæ divisio appella-

tur *semiseptenaria*, scilicet, dimidium septem pedum; sic Virgilius:

Terram inter fiūctūs āpērit-furit aëstus arena.

3.^o Si vero semiseptenariae adduntur duæ syllabæ breves, quibus terminetur dictio, ut in allato carmine, pars versus dicitur *bucolica*, quod in bucolicis a Theocrito maxime fuit usurpata.

Sunt et aliae hexametri partitiones a recentioribus inductæ, quarum prisci teste P. Alvaro, non meminerunt, ut est *semiternaria*. Duo postremo animadverti oportet; primum, carmen heroicum, ut nomine dignum sit, saltem *semiquinaria* constet opus esse: deinde poëtas syllabas breves non raro protrahere solere vi cæsuræ, *erāsi* utentes liberius; eo quod in cæsura, inquiunt, sit latens tempus, quo brevis veluti compleatur, et in longam evadat; sic Virgilius:

Terasquæ trāctusque maris cōlumque profundum.

3. Reliquum est, ut hujus carminis usus significetur, Id docet Horatius in arte metrica, ver. 73.

Res gestae regumque, ducumque, et tristia bella,
Quo scribi possent numero monstravit Homerus.

Sic ille de versu heroico, nam his usus est Homerus in *Iliade* et *Odyssea*. At plura exempla ipsem atque alii docuerunt, quæ hexametro carmine scripta reperies.

Præcepta morum, scilicet in Satyris, ut Horatius, Persius, Juvenalis:

Præcepta scientiarum, ut scripsit Lucretius Physica.

Præcepta artium, tum liberalium, ut Horatius in Arte poëtica, tum cuiuslibet alterius rei, ut Virgilius in Georgicis

Bucolica hoc metro scripsit Virgilius.

Denique hoc metrum est ad laudandum et describendum aptissimum, et ab scriptoribus aureæ ætatis præ cæteris usitatum.

II

DE CARMINE ELEGIACO.

1.^o Carmen elegiacum, ita dictum, quod elegiæ hoc metro conscribi solite sint, est ipsum hexametrum cui pentametrum subjungitur, ex quibus exurgit *distichon*.

Hexametrum.	— — — — — — — — — — — — — —
-------------	---

Pentametrum.	... — — — — — — — — — —
--------------	-----------------------------------

Ex dupli semiquinaria constare debet pentametrum; et haec quidem divisio ad carminis numerum spectant. Secunda semiquinaria dictione dissyllaba terminanda est; raro quadri vel pentasyllaba; rarissime trissyllaba; prope eadem lex quamvis non adeo stricte pro prima ferenda foret. En pulcherrima distichi exempla:

Ov. Invenies aliquem; qui me suspireret ademptum,
Carmina nec siccis porlegat ista genis.

TIB. Non ego divitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo

2.^o Quod attinet ad usum, haec docet Horatius in Arte poëtica, vers. 75.

Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguo elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.

Primo legitur solum veræ Elegie, seu tristia distichis scribebantur, et sic Ovidius. Postea etiam *Epigrammata*, cuiuslibet generis *Inscriptiones*, et quæcumque parvæ compositiones, ut videre licet apud auctores Augusti sèculo posteriores, praesertim apud Martialem.

LECTIO II.

DE CARMINE LYRICO.

Carmina lyrica, ita dicta quod ad lyrae sonos canebantur, a græcis latini accepere, sicut et cætera carmina; horum tamen imitatio Horatio præcipue tribuenda, ut ipse canit in *Oda 3.^a ad Melphomēnem*.

Dicar.....

Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxisse modos.....

Versus lyrici odis, sive cantibus accomodati sunt. Metri summa varietas, sicut et rerum, quae scribuntur, de quibus Horatius:

Musa dedit fidibus divos, puerosque Deorum,
Et pugilem victorem et equum certamine primum,
Et juvenum curas, et libera vina referre.

De omnibus metris singillatim agemus Horatii usum spectantes.

I

DE STROPHIS ASCLEPIADEIS.

Quadruplici modo usus est Horatius versu asclepiadeo, ab auctore Asclepiade ita nuncupato, et pentametro valde affini. Constant spondeo, dactylo et sylaba longa, deinde duobus dactylis:

Asclepiadeum	— — — oo — — oo — oo
Pherecratum	— — — oo — —
Glyconicum	— — — oo — oo

Dianam teneræ dicite, Virgines
Intonsum, pueri, dicite Cynthium,
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi.

1. *Pherecratum* a Pherecrate, et *Glyconicus* a Glycone duxere nomen. Hoc usus est Seneca in choris Tragœdiarum, ut in illo Medæa:

Vincit virgineus decor
Longe Cecropias nurus:
Et quas Taygeti jugis
Exercet juvenum modo.....

2. Post tertium quemque Asclepiadeum, Glyconicum subjungit Horatius.

Pastor cum traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera.....

3. Alternis vicibus Glyconicum et Asclepiadeum, ut:

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida sidera.
Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis, præter lapiga.....

4. Solum denique Asclepiadeum adhibet Horatius in odis aliquibus, ut in prima lib. 1.

Mæcenas, atavis edite regibus,
O et præsidium, et dulce decus meum!

Valde numerosus erit Asclepiadeus et Gliconicus, si duo extremi dactyli singulis verbis constent.

II

DE STROPHIS ALCAICIS.

Alcaicum carmen, ab ALCAEO inventum, in deliciis fuit Horatio: simillimus est Asclepiadeo, nec unquam solus invenitur, sed cum jambico et dactylico. En exemplum:

2. Alcaici	— — — oo — — oo — oo
Jambicus	— — — oo — — — — — — —
Dactylicus	— oo — oo — — — — — — —

Hac arte Pollux, et vagus Hercules
Enixus, arces attigit igneas:
Quos inter Augustus recumbens,
Purpureo bibt ore nectar.


Quoad extremos pedes Alcaici, idem monemus ac de Asclepiadeo. Duo reliqui versiculi a pede dominanti nomen accepere, perpetuoque Alcaicum comitantur.

III

DE VERSIBUS HENDECASYLLABIS.

Tria sunt carmina *hendecasyllaba*, scilicet, *Sapphica* a poëtria Sappho usitata, *Phaleuca* a Phaleuco, *Hipponacteum* ab Hipponacte.


1. Versus sapphicus quamvis in tragœdiae choris solus usurpetur, vel strophæ lege solutus, Horatius tamen tertio cuique sapphico subjicit Adonium, ita vocari solitum, quod his versiculis Adonis celebraretur:



Integer vitae, scelerisque purus,
Non eget mauris jaculis, nec arcu,
Nec venenatis grida sagittis,
Fusce, pharetra.

Quamvis in primo et secundo loco libiores fuerint Catullus et Seneca, vellem tamen imitareris Horatium, qui primæ sedi choreum, secundæ spondeum fere semper tribuit. Ad hujus carminis harmoniam pertinet, ut post secundum pedem sit cæsura.


2. Phaleucium carmen vix differt a Sapphico:



Jam ver egelidos refert tepores;
Et cœli furor æquinoctialis
Jucundis zephyri silescit auris.

Ita Catullus, qui liberior est in primo pede.—Insuaves evadent Phaleuci, si careant cæsura post secundum pedem.—Ex classicis Auctoribus Catullus et Martialis his usi sunt felicissime in Epigrammatibus et Odis, quas græcas vocant, scribendis.

3. *Hipponactium* carmen solum pedibus dissyllabis constare potest.




Ternos vetusti congios falerni
Hausit potentum Romuli nepotum
Regnator audax, arbiterque regum.

Cæsuram habeat ut phaleucium, cui par est etiam in usu poëtarum.

IV.

DE ANAPESTICO ET MYMENIACO.


Anapesticum a pede anapæsto, qui dominatur in carmine, nomen duxit: tres sunt hujus versus mensuræ a tribus vatibus usitatæ. Prima est anapæstici Archilochii:



Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris.

Ita Seneca in choro Medæ, qui solet anapaesticis *Adonium* subjicere sine lege: tu pervenuste tertio cuique adjicies. Anapesticum optimun putatur, cum singuli pedes e verbis singulis constent; at cæsura post secundum pedem nunquam omittenda.—Alterum, quod *Partheniacum* vocant, a priore non differt, nisi syllaba, quam ab ultimo pede substrahi solet.

Tertium est *Anacreonticum*. En exemplum:



Age cuncta nuptiali.
Redimita vere tellus.

Hymeniacus, ita fortasse dictus ab Hymenæo, seu cantu nuptiali, est versiculus dupli dactylo constans:

Creditur Aurei
Cantus Apollinis
Insuperabili
Abdita pectoris
Vincere carmine.

V.

DE VERSU IAMBICO.

I. Hic versus apud latinos vates usitatissimus, a pede dominanti nomen accepit, cuius usum si nosse velis, leges Horatium in Ar. Poët. v. 79.

Archilochum proprio rabies armavit iambo;
Hunc socci cepere pedem, grandesque coturni
Alternis aptum sermonibus et populares
Vincentem strepitus, et natum rebus agendis.

Est igitur proprius Tragœdiae, Comœdiae, et cujuslibet dialogi: ut exemplo docuere inter clasicos Plautus, Terentius, Seneca et alii. Ast æque lyricis atque epigrammaticis communis etiam est, si consulis Horatium, Catullum, Martialem, Senecam et recentiores hymnographos. Qua vero ratione in strophis efformandis immisceantur, inferius dicemus. Modo verba quædam ad mensuram recte intellegendam explicabimus.

Pedes in his carminibus bini sumuntur; vocanturque:
Menometri seu *Binarii*, qui ex douibus pedibus constant.
Dimetri seu *Quaternarii* ex quatuor....
Trimetri seu *Senarii* ex sex.
Tetrametri seu *Oetonarii* ex octo.

Hæ sunt iambici carminis species: at ex iis alii exoriuntur; nam quilibet ex quatuor modo dictis potest esse.

Acatalecticus cui nihil deest, nec superest:
Catalecticus, cui desit syllaba:
Brachicatalecticus, cui desit pes interger:
Hypercatalecticus, cui syllaba vel pes supersit:

Non tamen omnes usitati sunt; eorum exempla apud veteres inveniuntur.

Monometrum	Dimetrum	Trimetrum	Tetrametrum
˘	˘ -	- ˘	- - ˘
- ˘	˘ -	- ˘	- - ˘
˘ ˘	˘ ˘	˘ ˘	˘ ˘ -
˘ ˘ -	˘ ˘ -	˘ ˘ -	˘ ˘ -
˘ ˘ ˘	˘ ˘ ˘	˘ ˘ ˘	˘ ˘ ˘ -
˘ ˘ ˘ -	˘ ˘ ˘ -	˘ ˘ ˘ -	˘ ˘ ˘ -
˘ ˘ ˘ ˘	˘ ˘ ˘ ˘	˘ ˘ ˘ ˘	˘ ˘ ˘ ˘
˘ ˘ ˘ ˘ -	˘ ˘ ˘ ˘ -	˘ ˘ ˘ ˘ -	˘ ˘ ˘ ˘ -

Hac mensura lyrici et castigatiores Tragici et Comici utuntur; adhibent, scilicet, pedes iambico et spondeo aequipollentes, seu qui iisdem temporibus constent. Jam vero iambicis, qui non sunt acatalecti, communis lex est, ut semper in ultima sede habeant iambum; porro in calectis illa dicitur ultima sedes, quæ præcedit syllabæ deficienti, Animadverte tamen:

1. Tragicos et Comicos in his versibus vix una lege tene ri, videlicet, ut ultimo loco maneat iambicus; de ceteris pedibus non curant, sintne æquipollentes, an non. Sic Terentius:

Pateretur: nam quem ferret, si parentem non ferret suum? Hujusmodi sunt ferme, paulo qui est homo tolerabilis.

Sic etiam, licet rarius, Seneca:

Di conjugales; tuque genialis tori
Lucina custos; quæque domitorem freti
Tiphyn novam frenare docuisti ratem

2. Lyrici contra in sedibus paribus tribrahym admittunt; sed raro. Ipsi solis senariis nunquam utuntur nisi in Epigrammatibus. Sic Catullus;

Phasellus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse navium celerrimus.

Sed senariis dimetrum subjiciunt. Optima tibi præbet Horatius exempla:

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni foenore!

Alias versibus heroicis submittit senarium, ut in Carmine XVI.

Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenæ manus....


Alias dimetrum ut in Carmine XV.

Nox erat, et cœlo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera,

Quam tu magnorum numen læsura deorum
In verba jurabas mea

Aliis etiam metris senarios miscuit Horatius; at de his infra tractabimus. Illud tandem notandum est, qui fabulas scripsere liberioribus iambicis usos fuisse, comicos potius quam lyricos imitantes, ut apud Phaedrum comperire licet.

II. Inter iambos sunt nonnulli, quibus certa et fixa mensura est, ut Archilochicum, cuius mensuram deditus ubi de strhypis Alcaicis; anacreonticum ubi de Anapæstis, ex usitatis sunt tantum reliqui Aristophanicci:



Fluit silenti,
Val'es per imas,
Gradu Metæurus:

et Scazon ab Hiponacte inventum: hoc est senarium iambicum, sed quintum pedem habet semper iambum, sextum spondæum; huic carmini Martialis in Epigrammatibus (nam his scribendis aptissimus est) subjunxit dimetrum jamicum, ut hoc exemplo patet:

Verona docti syllabus amat vatis:
Marone felix Mantua est:
Censemur Apona Libio suo tellus,
Stellaque nec Flacco minus.

VI.

DE VERSU TROCHAICO.

1. Trochaicus iambico consimilis, lyricis ac dramaticis communis est. Quod autem ad mensuræ varietatem pertinet, lege quæ de iambicis supra diximus; sedes vero trochaici sunt loci impares, sicut iambico pares. Dramatici vates liberrime trochæis, sicut et iambicis usi sunt. Lyrici contra solum spondæum in sedibus paribus, raro tribrahym admittunt. Accipe exemplum.

2	4	6	8
-v	-v	-v	-v
--	--	--	--
vvv	vvv	vvv	vvv
-vv	-vv	-vv	-vv
v v-	v v-	v v-	v v-

Appetente vere primo, cum tener virescit annus,
Vinitorque false tonsos vitibus marital ulmos....

Inter hos versus usitatissimi sunt Archilochii, qui sunt Tetrametri Catalecti: en exemplum Senecæ in Medea. A. 4.

Vos precor vulgus sitentum, vosque ferales deos,
Et chaos cæcum atque opacam Ditis umbris domum...

Recentiores vero lyrici et himnographi hos in duos dimetros pervenuste dividunt catalectum et catalectum. Exemplum elegantissimum præbet poësis sacra:

Pange, lingua, glorirosi
Lauream certaminis;
Et super Crucis thophaeo
Die triumphum nobilem:
Qualiter Redemptor orbis
Inmolatus vicerit.

2. Trimetris vix usi sunt vates: haec habet Terentius.
Hoccine credibile est, aut memorabile,
Tanta vecordia in nata cuiquam ut siet....

3. Dimetri sunt usitatores; habes exempla supra catalectici et catalecti: accipe hypercatalecti, quop Bachylium vocant:

Floribus corona nectitur,
Versibus poëma pangitur,
Quis ferantur alma munera....

4. Denique sunt etiam monometri hypercatalecti, qui ex duobus choræis cum syllaba constant.

Vita jam fugit;
Instat et mihi
Parca, nec potest
Fata non sequi.

His dictis facile quælibet carmina ad modos metricos composita dimeteris; restant nihilominus quedam minus usitata, quæ apud Horatium reperies, de quibus pauca dicemus ad eruditionem potius quam imitationem.

Appendix I.

AD PLENAM CARMINUM HORATII COGNITIONEM.


Cum Horatii volumina integra ab studiosis latiæ poëseos explicantur, plures spectantur et odæ et carmina, quorum modi,

ARTE MÉTRICA.

forsitam quod nobis pristinæ pronunciationis ignaris duri ac insuaves videntur minime vulgati sunt. Hos igitur nunc ordine librorum proponemus, quo nihil pulchritudini studentes lateat.

EX LIBRO PRIMO.


CARMEN VI. Constat Archilochio majori, cui minorem subjungit, Horatius:



Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinæ carinas;
Ac necque jam stabulis gaudet pecus, aut arator igni;
Nec prata canis alblicant pruinis.

Hujus carminis est unicum exemplum.


CARMEN VII. Constat hexametro et falisco sive alemanio, quod est velut hemistichium hexametri.



Laudabunt alii claram Rhodon, aut mitylenen,
Aut Epheson, bimarisve Corinthiæ
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Appolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe.

Ejusdem numeri sunt vigesima octava hujus libri, et duodecima Epodi.


CARMEN VIII. Constat Aristophanico et choriambico pentametro:



Lydia, dic, per omnes
Te Deos oro, Sybarim cur properes amando
Perdere? cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis?

GRAMÁTICA LATINA.

CARMEN IX est Coriambicum Gallimachium:



Tu ne quæsieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem Di dederint, Leuconoë; nec Babilonios...

Huic sunt pares 18 hujus lib. et 10 lib. 4.


EX LIBRO SECUNDO.

Notandum CARMEN 8, quod unicum est apud Horatium; constat autem trochaico dimetro et senario iambico catalecticis:

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar;
Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas...

EX LIBRO TERTIO.


CARMEN XII est exemplum unicum versus Jonici majoris et minoris: hic scilicet duplicatus efficit majorem; qui sex pedibus constat; vel octo si mavis solum spondeum et Pyrrichium in metiendo adhibere. Accipestrophon integrum:



Miserorum est, neque amori dare ludum, neque dulci
Malæ vino lavare, aut exanimari metuentes
Patruæ verbera linguae

EX LIBRO QUARTO.

CARMEN VII constat hexametro et daetylico archilochio cuius mensura est haec, et exemplum unicum:



Diffugere nives: redierunt: jam gramina campis,
Arboribusque comæ:
Mutat terra vices, et decrescentia ripas
Flumina prætereunt.

EX EPODO.

CARMEN XI constat senario iambico, et archilochio composite ex dactylico et dimetro iambico qui pro libitu separantur, vel ut unum carmen scribuntur.

Petti, nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos amore percussum gravi.

CARMEN XII constat hexametro, et quodam archilochio modo tradito supra, quique dactylo præmittit dimetrum jamicum: exemplo patebit, cuius metri non invenies secundum apud Horatium:


Horrida tempestas cœlum contraxit, et imbræ
Nivesque dēducunt Jovem; nunc mare, nunc cœlum
Threicio Aquilone sonant: rapiamus, amici,
Occasionem de die; dumque virent genua...

Hucusque de metris Horatianis. Archilochio dactylico addidit spondeum Boëtius; at certe dariuscum evadit:

Omne hominum genus in terris;
Unus enim rerum Pater est.

Appendix II.

Huic tandem labori finem imponemus dupli adhuc carmine, raro quidem, quod tamen invenies apud auctores. Prius quo usus est Catullus, trochaicum stesichorium dicitur, cuius mensuram aspice:



O colonia, quæ copis ponte ludere longo
Alterum est choriambicum phalæcium, quo utitur Terentianus Maurus.



Jane pater, Jane tuens, Jane biceps, biformis;
Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi.

Appendix III.

DE INSCRIPTIONIBUS LATINIS.

Quamvis stili, quem *lapidarium* vocant, studium Grammaticæ fines prætergredi videatur, tamen, quod magno usui futurum

arbitramur, et quod raro apud auctores, qui de stilo latino scripsere, reperiatur, hæc præcepta adjecimus, non quidem nostro ingenio elucubrata, sed ex INSTITUTIONIBUS ELOQUENTIÆ Innocentii Polcari S. J. decerpta. Hunc igitur auctorem consulat, vel potius præclarum opus de STILO INSCRIPTIONUM LATINARUM a Stephano A. Morcelli compositum, quisquis vel rem fusius tractatam vel plura exemplaria legere exoptet.

I

QUID SIT, QUÆ EJUS GENERA.

INSCRIPTIO latine; græce EPIGRAPHÆ, significant *titulum*, qui templis, columnis, statuis, sepulchrī inscribi solet; ipsum autem nomen *titulus* apud latinos frequens, notam, indicem, elogium significat, quibus res dignoscitur, et quid valeat, quid contineat, cuius sit monstratur. Hinc recte describi potest *inscriptio*: «*Brevis oratio, qua paucis appositisque verbis alicui monumento insculpta, personas rerum eventus, resque commemoratione dignas posteris commendamus.*»

II. Tria genera complectimur, videlicet: *Sacras*, quæ cum dedicationes et donaria, tum etiam vota et monimenta sacrorum comprehendunt. *Honorarias*, quæ honorem cuique habitum demonstrant; quæ si sepulchrī affigantur, *epitaphia* nuncupantur; si alibi, vel si typis mandentur, *elogia*. *Historicas*, quæ res memorabiles posteritati produnt quo spectant fasti, inscriptiones operum publicorum, indices loci, legata etc., modo non laudem, sed memoriam tantum contineant.

DE STILO ET SERMONE.

1. Communis inscriptionum sermo inter oratorium et poëticum mediis videtur: dictio vero loco, operi et personis conveniat. Verborum dispositio, ex qua dictio conflatur a veterum exemplis petatur, ne desit elegantia, quæ non tam in singulorum verborum delectu, quam in apta et numerosa collocatione est. Porro, dictionum et formularum fontes ac loci universim assignantur Tullius, Cæsar, Nepos, Livius; inter poëtas Catullus et Horatius cum reliquis, qui Augusti aetate floruerent. Uberrimos autem rerum ac sententiuarum fontes reperies in sacris litteris, ecclesiastica liturgia et scriptis Sanctorum Patrum.

2. Verborum, sententiarumque figure inscriptionibus convenient, exceptis tamen acrioribus, omnino poëticis, quæque verborum lusu versantur. Itaque adhibentur præsertim prosopopoeia, exclamatio, apostrophe, precatio, et aliae hujusmodi; parce tamen, nec sine delectu.

3. Perspicuitas, quæ maxime est inscriptionum virtus, postulat, ut vetusta nimis et ignota vitemus, incerta et ambigua illustremus, efficiamusque, ut tota incriptio in lectorum animum facile, dulciter et jucunde descendat: hinc litterarum singularium usus, præterearum, quæ jam recepta sunt, interdicendus; hinc etiam justa mensura procuranda: ea autem justa censenda est, quam perlegens plane intelligat, jucundaque hauriat, quæque monumenti magnitudini et gravitati conveniat. At nec quæ salva sententia tolli possunt, semper extra modum habenda; sunt enim ornamenta, sunt formulæ solemnes, dictiones paulo copiosiores, quibus sententiæ vis aut clarescit, aut nobilitatur.

4. In ratione denique scribendi, sive insculpendi, veterum exempla inspicienda, et quoad liceat, imitanda. Unde litteræ antiqua omnes forma: scilicet primaria, et simpliori, æquali, majori plerumque; aliquando tamen nomen ejus, cui incriptio dicatur, magnitudine eminent. In versibus dividendis perspicuitas rectusque sensus curandus est. Verba singula, extremis tantum in singulis versibus exceptis, vel ad calcem vel medio spatio punctis notentur.

II.

INSCRIPTIONUM SACRARUM FORMA ET EXEMPLARIA.

1. Titulus Deo et cœlitibus positus inscriptio sacra est, quæ templum aramve dicatam, vota suscepta vel reddita, vel donum quodlibet cum aliqua cultus significatione declarat.

2. Dei vel cœlitis nomen præcedit cum appositis, omniaque dative efferentur, nisi præmittantur illa;

HONORI-SACRUM-D. O. M. SACRUM-IN HONOREM CŒLITIS N..... vel alia hujuscemodi. Inde adscribuntur qui dedicant et dedicationis causa. Tandem nota temporis, quæ si insignis, habeatur, initio etiam ponitur.

3. En aliqua exempla:

I.

DEO. OPTIMO. MAXIMO. SACRVM
IN. HONOREM. MARIAE. VIRGINIS. SIDERIBVS. RECEPTAE
ORDO. POPVLVS. QUE. MOLLIANENSIS
TEMPLOM. A. MAIORIBVS. OB. DEPVLSAM
PESTILITATEM. EX. VOTO CONSECRATVM
VT. FRECUENTIAE. MVNICIPVM
ET. STATIS. SVPPPLICATIONIBVS. AVGVSTIVS. PATERET
PECVNIA. PVBLICA ET. OMNIVM SODALITATVM
NOVA. FORMA. REFICENDVM. LAXANDVM. QUE
CVRAVIT
DEDIC. VII. IDVS IVN AN. M. DCC. LXXIII.

(In agro Firmano)

II.

MARIE. REDVCI
ET. ANGELIS. CŒLESTIBVS. TVTELARIBVS
ANTONIA. LAVR. F. CLAVDIANA
PRO. REDITV. PAVLI. AMERINI. CONIVGIS
ET. IVSTI FILII
VOTVM. ANIMO. LIBENS. SOLVIT.

(Pro lychnulo Pensili.)

III.

FRANCISCO. XAVERIO
APOSTOLO
SOSPITATORI. ORIENTIS
QVOD. CŒLO. RECEPTUS
CIVITATEM. QUAM. LVES. POPVLABATVR
PRÆSENTI. OPE. RESPEXERIT
ET. APPELENTE. AB. SANCIANO. NAVI. QUÆ. SACRUM
CORPUS. EIVS. MENSE. POST. MORTEM. QVINTO
INTEGRVM. RECENS. QVE. ADVEHERAT
SECVRITATEM. CIVIBVS. SALVTEM. QUE
REDDIDERIT
ORDO. ET. POPVLVS. MALACENSIS
CONSERVATORI. PATRIE

(In statuae basi.)

IV

INSCRIPTIONUM HONORARIARUM FORMA ET EXEMPLARIA.

1. Honorariae easdem prope leges sequuntur ac sacræ; addendum tamen quorum sumptibus, decreto vel studio honor habitus sit; ac si de civitate agatur, singuli ordines cum suis appositis sunt rescensendi.

En exempla:

PIO. VI. PONT. MAX.

PROPAGATORI. AGRORUM LOCUPLETATORI. CIVIVM
OPTIMO. PRINCIPIS
AD. MEMORIAM. OPTATISSIMI. ADVENTVS
ANNO. M. DCC. LXXX
QVVM. HISCE. IN. AEDBV. APRILI, MENSE
DIES. QUATVORDE. IM. HOSPITATVS. EST
DOMVS. VITELLIORVM
NOBILITATA. ET. AVCTA
OMNI. INDULGENTIA. ET. LIBERALITATE
EIVS

(Terracinæ in aedibus Vitelliorum.)

PETRO. METASTASIO

CIVI. ROMANO

PRINCIPI. ITALICI. DRAMATIS

IOANNES. MARIA. RINIMALDV

FERRABIENSIS. PRESB. CARDINALIS

ANNO. M. D.C. LXXXVII

NE. VIRO. VBIQUE. GENTIVM. CLARISSIMO

HONOR. IN. PATRIA. DEESSET

(Romæ ad Pantheon.)

HONORI

HANNIBALIS. BOCCIII. CLARENsis

IN. COLLEGIVM. PRESBITERORVM

COOPTATI

SACRVM. PRIMVM

FACIENTIS

ÆQUALES. EIVS. SARCEDOTES.

VOTA. DEO. NVNCVPANTES.

Salve, o præclara proles, qui prima parente,
Hannibal, ad nostros major honore redis:
Quæ divo crescent altaria munere, quæque
Mactatus pronis hostia cœlitibus
Pacatura Deum, populis tibi debet et aucto,
Læta sacerdotum, claraque turba choro;
Debeat et multis patriæ quod fulgeat annis
Hæc probitas, mores hi, pudor et pietas.

2. In *Epitaphiis*, nominibus adscribentur honores, sacerdotia, munera et laudes uno altero apposito; vita autem et res gestæ raro et breviter narrantur, interdum ab ipso defuncto. Adjiciuntur nota temporis, vitæque anni, auctores monumenti, salutationes, sententiæ, precatio[n]es. Feminarum epitaphia amant nomina diminuta, laudum copiam ac diligentem munerum expositionem; puerorum autem puellarumque emicant teneri affectus, laudes ex gratia, forma, moribus et ingenio, maxime vero parentum doloris significaciones. Invenies denique epitaphia carmine conscripta, sed adjecta inscriptioni; in iis tria serva: 1, sententia sit brevis, simplex, gravis aut suavis, pro defuncti conditione; 2, ab ipsa exprimi dideatur; 3, metrum usitatum est elegiacum, raro faleucum, rarius trimetrum.

A. X. Ω.

HEIC. ADQVIESCIT

ANTONIVS. ANDR. E. ANDREIVS

PATER. LIBERORVM. QVINQVE

PIETATIS. STVDIO. REI. FAMILIARIS. CVRA

SEDVLTATE. OFFICIORVM

AMOREM. CIVIVM. ET. LAVDEM. EMERITVS

ANNOS. NATVM. LVIII

ANDREAS. FILIVS. SVPERSTES. DEFLEVIT. AMISSVM

V. NON. MART. AN. M. DCCC. XVIII

AVE PARENTS DESIDERATISSIME

PAX. TIBI ET. GAVDIA. CŒLESTIVM

A. X. Ω.

DOMUS. MORTALITATIS

CINERIBVS. ATQUE. OSSIBVS

REVICTURIS

(In communi sepulcro.)

LACRIMVLAM. TIBI. HOSPES. HABETO
 RITE. EGO. LOTVS. AD. SVPEROS. EVOLAVI
 XIII. KAL. Ianvar
 BENE. MATRI. PRECATVS
 QVOD. VRBE. BELL. METV. TREPIDANTE
 ME. SEPTIMO. LUNAE CVRSV
 MATVRVM. CŒLO. EDIDISSET
 AT. HEIC. EXVVIAS. MEAS. COMPOSIT.
 MARTINENGVS. PATER.
 QVVM. VIXISSEM. HORAS. V.

OCTAVILLA M. FLAVIANI. F.
 ANNOR. XV
 HEIC. SITA. EST
 DELICIVM. DOMITHLÆ. MATRIS
 SOLATIVM. EVNICES. ÆVIÆ
 QVÆ. INGENIVM. ACRE
 FORMAM. PRÆCLARAM
 ORNABAT. PIETATE. SINGVLARI
 NON. MORTVA. PVELLA. EST
 SED. DOHMIT

ANTONIVS. RAPHAEL. MENGS
 EQVES
 LOCO. EMPTO.
 MONVMENTVM. FECIT
 MARGARITÆ. GVAZZIÆ
 VXORI. CARISSIMÆ
 BENE. MERENTI
 ET SVIS. LIBERIS
 POSTERIS. QVE. SVIS
 ANNO. M. DCC. IXXIII
 IN. FR. P. X. IN. REG. P. XII

D. M. S.

SVM. CASTÆ. CINERUM. LAPIS. PUELLÆ
 CVSTOS. ME. RELEGENS. PIVS. VIATOR
 HVIVS. COGNITA. SI. TIBI. FVISSET
 VIRTVS. LACRIMVLIS. TVIS. RIGARES
 EVODIÆ. CYPARÆ. ANN. VI

3. Elogia denique ideo inventa sunt, ut posteri ad virtutem legendo excitentur: ex virtutibus ergo factisque ea

seligenda sunt, quæ eximia putantur: quæque admirationem habent. Initium elogii unum omnino erit a nomine quod recto casu erit usurpandum. Ea præcipue subjicienda, quæ quisque ex rebus gestis invenerit; ea gesta breviter usurpanda, quibus maxime claruerit; cavebimus tamen ab his agnominationibus, quibus neque veritatis multum inesse solet, neque dignitas. Sub finem. denique singularis honoris forte habiti mentio facienda, interdum etiam eorum quæ post mortem tributa sunt.

V.

DE INSCRIPTIONIBUS HISTORICIS.

Harum scopus est res posteritatis memoriae commendare. Huc ergo pertinent:

1.º Fasti qui res sacras aut civiles a viris principibus cujusque ordinis præclare gestas breviter ac dilucide enarrant, quin et funestos etiam eventus ad posteriorum lacrimas fugamque ciendam.

2.º Operum publicorum inscriptiones ab auctore incipiunt: succedunt tituli, magistratus, munera ut in honorariis: tum res seu opus cum aliqua laude; denique, qua pecunia res conficitur, cum nota temporis.

3.º Indices locorum, quibus finium terrarumque discrimina posita videantur, vel sunt ad exempla modo tradita de operibus publicis, vel nude et simpliciter rem demonstrant.

Appendix.

Sunt et inscripciones temporariæ, quibus ad festos apparatus, funera publica, aut litteraria specimina hominum frequentia aut viri primates invitantur. Harum leges vel ex dictis supra, vel ex subjectis exemplis facile deduces, eo vel maxime quod cum fuerint priscis inusitata, nulla exstant exemplaria.

I.

PRO FESTO APPARATU.

MICHAELI
 INVICTO. BELLIPOTENTI
 PRINCIP. CŒLESTIVM
 CVRIA. TERTIA. POPVLO. BIFARIAM. SVPPPLICANTE
 HONORES. ITERAT
 IMPLORATIS. QVE. PRECIBVS. VOTA. SOLVIT

II.**PRO FUNERIBUS.**

PIIS. MANIBVS
SODALIVM. NEPOMVCENIANORVM
QVOS. PVRGATORIVS. IGNIS
SIDERIBVS. INSERENDOS. EMVMDAT
SVPERSTITES. PACEM. CŒLESTEM. ADPRECATI
SACRVM. ANNIVERSARIVM.
EXPIATIONIS. CAVSA. FACIMVS
PAR. OFFICIVM. A. POSTERIS
PRÆSTOLANTES

III.**PRO CERTAMINE LITTERARIO.**

QVOD. FELIX. FAVSTVM. QVE. SIT
HONORIS. OFICII. QVE CAVSA.
GREGORIO. SCIP. F. CLARAMONTIO
EX. DECVRIONIBUS. CÆSENATIVM
PONTIFICI. TIBVRTIVM
ADELCTO. INTER. ANTISTITES. DOMVS. PONT. MAX.
ADSTATORI. AD. SOLIVM
CVIVS. OPE. CONSILIO. QVE.
INGENIA. CIVIVM. VIGENT
LITTERÆ. ATQVE. ARTES. IN. SPEM. VETERIS.
GLORIAE. FLORESCVNT
IACOBVS. ALOIS. DEC. F. LOLLIVS
IN. CONSESSV. SPLENDIDISSIMI. ORDINIS
AD. EXPERIMENTA. PHISICAE. LOGICÆ. QVE.
DOCTRINÆ. PVBLICANDA
LECTAS. SOPHORVM. SENTENTIAS
CORAM. PRÆSENTI. PRAESENS. OBFERT.
SE. QVE. DEDICAT
OPTIMO. PATRONO.

A. M. D. G.**ÍNDICE.**

	<u>Páginas.</u>
PRÓLOGO.	
NOCIONES PRÉVIAS.	
I. Clasificacion del Alfabeto.	7
II. Reglas generales de pronunciaciōn.	8
III. Reglas de Ortografía más usuales.	9
IV. Division de la Gramática.	10
 LIBRO I. 	
DE LA ANALOGÍA.	
I. Adjetivos latinos.	11
II. Accidentes del nombr.	Id
I. Norma de la primera declinación.	14
II. Observaciones.	Id
III. Género de los nombres de esta declinación.	Id
IV. Ejercicio.	15
Apéndice.	16
I. Modelo de la segunda declinación.	17
II. Observaciones.	Id
III. Género de esta declinación.	18
IV. Adjetivos de tres terminaciones.	19
V. Ejercicio.	20
I. Modelo de la tercera declinación.	22
II. Observaciones sobre sus casos.	Id
III. Género de los nombres de la tercera declinación.	29
IV. Adjetivos de una y dos terminaciones-Comparativos y Superlativos.	32
V. Ejercicio.	34
Apéndice.	36
I. Cuarta declinación.	37
II. Observaciones.	Id
III. Género.	Id
IV. Ejercicio.	38
I. Quinta declinación.	39
II. Observaciones y Ejercicio.	Id
De los nombres anómalos ó irregulares.	40
I. Nombres sustantivos.	41
II. Nombres adjetivos, y Ejercicio.	43
Apéndice sobre los adjetivos numerales.	46
Del pronombre.	49
I. Pronombres primitivos.	Id
II. Pronombres posesivos.	51
III. Pronombres relativos.	52
Apéndice I.—Adjetivos relativos.	53
Apéndice II.—Partículas adherentes á los pronombres.	Id
Apéndice III.—Nombres patronímicos.	54
Apéndice IV.—Aumentativos y diminutivos.	55